

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Rudolphi Goclenii Exercitationes et disputationes ethicae & politicae

Goclenius, Rudolph

Marpurgi Cattorum, 1601

XX. Sitne prudentia an sapientia arisoteli summum bonum, & quod
theologo?

[urn:nbn:de:bsz:31-109121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109121)

non posse arbitror, ut homines in hac vita præter admodum paucos felicitatem assequantur, non intelligit perfectam beatitatem, sed gustum tantum beatitatis. Sentit admodum paucos hunc percipere, nempe qui Deo magis quam sibi ipsi vivunt, seu qui parum commercii habent cum corpore, quia animum à corporeis sensibus & cupiditatibus sejungunt, quæ Mors philosophica est, & Sapientiam propria: Qui à sensibus ad intellectus intima abducti penetrabilia multa etiam sub oculos delata non vident, ut Scaligeri verbis utar: qui & alibi præclare: Hoc non est optimum, in natura diutissime vivere, sed sapientissime. Hominis enim vita non hæc est, sed viæ ad vitam, quæ æterna est.

XX.

Sitné Prudentia an Sapientia Aristoteli summum bonum, & quod Theologo?

ARISTOTELES beatitudinem collocans in operatione secundum virtutem, intelligit optimam & perfectissimam virtutem. Hæc ei in intellectu pratico est prudentia: In intellectu vero contemplante Sapientia. Politica igitur (Politici hominis) felicitas Aristoteli consistit in prudentia, cujus norma reliquæ virtutes diriguntur, *metæ* seu operatione: Felicitas vero theoretica (contem-
plato-

platoris) in Sapientia actione. Per sapientiam autem intelligit non sapientiam illam, quam in honesta prospicientia politiciis viris tribuimus: sicut alii sapientiam in doctrina Ethica accipiunt: sed principiorum indemonstrabiliū & conclusionum demonstratarum notitiam. Hujus notitiæ eximia pars est Dei cognitio. Theorica autem hæc felicitas præstantissima ab eo judicatur: quia ad divinam quam maximè accedit. Theologi ductum sacrarum literarum secuti fecerunt duplicem hominis finem: quorum alter in hac vita potest obtineri: alter verò expectatur, cum hinc solverimus. Hujus vitæ summa, seu externus hominis, dum hîc vivit, finis est, Justificatio per Christum, seu vivificatio & sanctificatio. Alterius verò vitæ, visio Dei perfecta: seu conspectus Dei plena fruitio. Summum enim bonum hujus vitæ, & summum bonum vitæ secuturæ differunt tantum gradibus & perfectione, non essentialiter.

XXI.

De perfecta Felicitate, qua alterius verè beatorum vitæ est commensuratio.

NONNE hoc absurdè dici videtur; *Ideam Boni ad hominem beatum relatam. Seu: Summum hominis bonum in altera vitæ beatorum formaliter esse illustrem, plenam, & sibi*